



CANDIDO LECTORI

S. P.



NE mireris, Lector beneuole, librum hunc maiori ex parte jam pridē in Daniā Typis absolutū; nunc demum publici iuris fieri. Constituerat enim socer Braheus laudatissimæ memoriæ, volumen hoc, quinque Cometis postmodum inspectis, sed necdum in Hypothesin & Numeros diductis, auctius & locupletius reddere, ac vnâ eademque operâ Aristotelex etiamnum sectæ quo ad Cometarum sublunarem situm pertinaciter addictis, subiectâ luculentâ quâdam Apologiâ obuiam ire, quorum vnus atque alter, è libri fragmentis priuatim sibi communicatis Occasione desumptâ, & à Stagyritâ præceptore suo vel minimum apicem discedere piaculum ratus, jam ad pugnam semet accinxerat, & in palæstram descenderat.

Verùm cum postea grauius circa Planetarum restitutionem onus totum Tychonem, neque vnum, sed complures deposcere videretur, seposito tantisper, dum cætera pertexerentur, de Cometis consilio & feruore, Planetarum simul & Affixorum siderum redintegrationem ex accuratissimis viginti quatuor Annorum obseruationibus Herculeo